



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.42. Res Africæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VII A. C. 601. gorius prosequitur: *At baptizantur illi Hæretici, qui in Nomine Trinitatis non fuerunt baptizati, quales sunt Bonosani, qui Jesum Christum Deum esse non credunt, & Cataphryges, qui credunt, Montanum esse Spiritum Sanctum. Nec temendum, ne in iis iteretur Baptismus, quem nunquam acceperunt. Nestoriani in Nomine Sanctæ Trinitatis baptizati sunt, idcirco solum in vera Doctrina de Incarnatione erudiendi sunt, ut credant, eundem Jesum Christum esse Filium Dei, & Filium hominis, hanc Veritatem publice confiteantur, Nestorio & omnibus ipsius Sæctatoribus Anathema dicant, & se Concilia, quæ recipiuntur ab Ecclesiis, recipere promittant. Ita illos admittere non dubites; imo poterunt in Ecclesiis suis Ordinem, in quo sunt, retinere, ut hac spe facilius reducantur.*

## §. XLII.

*Res Africæ.*

1. epist. 8.

Cum Diaconus ex Numidia quereretur, se ab Episcopo suo injuste depositum fuisse; S. Gregorius aliunde certior factus, depositum fuisse ob admissum Impudicitiae crimen, datis litteris ad Columbum illius Provinciæ Episcopum, cujus fidem sibi perspectam habebat, dicit: *Si reus est, includatur, & pœnitentiam agat, si innocens, Ordini suo restituatur, & Episcopus*

*copus severe puniatur.* Hæc Epistola Sæculum VII  
A.C. 602.  
 mense Octobri Indictione quinta nempe  
 anno 601. data est. Ex aliis S. Gregorii  
 Epistolis dispicimus, S. Pontificem arbi-  
 tratum fuisse, ab antiqua Regula nec la-  
 tum unguem esse discedendum, sed Cle-  
 ricos in peccata carnis lapsos Munere  
 suo esse privandos, & nunquam restituendos.

Paulino (\*) ejusdem Provinciæ E-  
 piscopo ad S. Gregorium delato, quod  
 aliquos Clericorum suorum contumeliis,  
 & verberibus affecisset, S. Papa, datis  
 litteris ad Columbum & Victorem Nu-  
 midix Primatem, eos exhortatur, ut re  
 ista in Synodo mature examinata Pau-  
 linum severe castigarent, si reus esset, &  
 Victorem monet, ne Dignitatem suam  
 a Paulino sperni ferat. Tum subjungit:  
*Ad Hilarium Chartularium nostrum  
 mandata misi, ut Judicio vestro, si Causa  
 poscat, intersit.* Is verisimiliter Patri-  
 monii S. Petri in illa Provincia Rector  
 erat. Epistolæ istæ eadem Indictione  
 quinta sed serius, & anno 602. datæ  
 sunt.

S. Gregorius etiam Episcopis Pro-  
 vincix

(\*) Inde colligimus, illud Africanorum De-  
 cretum, ne quis ultra mare, id est, ad Romanam  
 Sedem appellet, aut nunquam fuisse observatum,  
 aut brevi exolevisse.

Sæculum VII vinciæ Byzacenæ scripsit in hunc modum

A.C. 602. *Laudabilis Virtus est Superioribus suis Reverentiam exhibere; sed peccatorum dissimulare timor Dei prohibet.* Jam diu ante de Clementino Primato vestro lita ad me relata sunt, quæ summo dolore percepi. *Varia negotiorum turbæ, & præcipue hostium, quibus hic circumdamur, terror obstiterunt, quo minus in hac causa possem certiora perquirere; quia vero gravissimas accusationes dissimulare neutiquam licet, exhortamur vos, ut maxima cura & vigore Episcopali in hac causam inquiratis; expedit enim, ut Frater Noster; si vere reus est, secundum Canones puniatur; si innocens, ab infami criminatione liberetur. Si quis vestrum in hac Causa negligentia & vecordia culpam admiserit, sciat, quod se ipsum coram Deo illorum scelerum reum faciat & participem.* Ita S. Gregorius Ecclesiarum Africae curam Auctoritate Papali gerebat.

§. XLIII.

*Res Franciæ.*

**B**runchildis Regina, & Theodoricus Rex Nepos ejus, missis Romam Burgualdo & Varmaricario Legatis, de aliis quibusdam Causis & cum primis de Pace, quam cum Imperio Romano inire cupiebant, acturis, insuper quærebant, quid